

hic adduci possent omnia testimonia Scripturæ et Sanctorum, quibus hæc activitas instrumentorum Dei confirmari solet, ex quibus plura in præcedentibus sectionibus adducta sunt, et plura etiam afferam in 3 tom., tractando de activitate sacramentorum; et videri etiam possunt August., in Psal. 130, et in id Psalm. 138: *Mirabilia opera tua, et anima mea cognosce nimis*; Chrysost., hom. 1 in Acta; Ambros., serm. 91; et optime D. Thom., quæst. 6, de Potentia, art. 4. Et potest hoc confirmari, quia Sancti sæpenu-mero mirantur quod Deus interdum operetur aliquos effectus, adhibendo res vel nullius virtutis, vel etiam repugnantes, ut, quod illuminet cæcum, luto unguendo oculos ejus, quæ admiratio nulla certe esset, nisi hujusmodi res aliquid conferrent ad tales effectus; admiratio ergo est quod in hujusmodi rebus sit vis ad obediendum Deo, efficiendo etiam oppositum ejus, quod earum natura postulare videbatur; imo in naturalibus existimant aliqui interdum hoc accidere, ut quando aqua movetur sursum ad replendum vacuum, quod putant fieri activa vi obedienciali gravitatis ad imperium Dei, universalis naturæ gubernatoris.

58. *Sexta probatio ab auctoritate.*—Sexto, possumus hanc sententiam auctoritate confirmare, et imprimis affero Augustinum, 9 de Trinit., cap. 17, ubi, cum dixisset esse in rebus naturalibus virtutes agendi juxta naturales leges, subdit: *Super hunc autem motum cursumque rerum naturalium, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent*; et quamvis in his verbis videtur tantum loqui de potentia passiva, tamen mens Augustini aperte est indifferenter loqui de vi activa et passiva, de qua paulo superius dixerat: *Elementa hujus mundi corporei habent definitam vim, qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit*; in quibus verbis de utraque potentia loquitur; et infra de utraque ponit exempla, ut, *quod lignum aridum repente floreat, et fructum gignat, ut asina loquatur*, etc. Docet ergo aperte illo loco Augustinus posse Deum facere, ut creatura aliquid ultra virtutem naturalem operetur ex imperio et voluntate Dei, atque adeo per potentiam activam obediencialem, ut sæpe deductum est. Præter citatos etiam auctores in sectione præcedenti, afferri potest Bonavent., in 4, d. 10, art. 3, q. 2, ad 2, ubi, agens de

virtute efficiente transubstantiationem et miraculosam Christi conceptionem, significat ad utramque fuisse in creatura potentiam obediencialis, et quamvis videatur loqui de potentia ex parte materiæ circa quam versatur utraque actio, tamen revera præcipue loquitur de virtute activa, quam concedit communicari creaturæ ad utramque actionem. Eandem sententiam significare videtur Cajetan. hic, art. 2, ubi ait Deum efficere miracula per creaturam, non dando illi virtutem gratuitam, sed utendo illa instrumentaliter: *Qui usus (inquit) est vis actualis ipsius in esse instrumenti, ac per hoc in esse causæ effectivæ instrumentaliter operis miraculosi; reducit enim res illa de potentia obedienciali ad actum, cum de non instrumento fit instrumentum, quod fieri constat ex hoc solo quod Deus utitur illa instrumentaliter ad opus miraculosum*; hæc enim verba non possunt commode intelligi de potentia passiva obedienciali, cum ipse fateatur nullam virtutem supernaturalem addi creaturæ per hujusmodi usum; ergo nulla potentia passiva creaturæ reducit in actum per talem usum; ergo id vere solum dici potuit de potentia activa.

*Solvuntur argumenta in principio posita.*

59. Superest respondeamus argumentis in principio positis. Ad primum jam fere responsum est in superioribus; falsum enim in eo assumitur, dum dicitur omnem potentiam obediencialem esse meram non repugnantiam, quam sententiam refert Capreolus, ex Aureolo, in 4, d. 42, q. 1, art. 2 et 3, in principio, eamque impugnat, ubi expresse docet potentiam obediencialem proprie passivam seu receptivam, esse potentiam realem; et ad quintum dicit, secundum rem non esse aliud ab essentia subjecti, sed tamen secundum rationem addere respectum ad potentiam Dei, et in hunc modum intelligendus est idem Capreolus, in Prolog., q. 1, cont. concl., ubi inquit hanc potentiam obediencialem non esse nisi quamdam relationem, intelligendum enim est præter entitatem rei non addere nisi relationem. Unde ibidem hanc potentiam interdum vocat naturalem, quia est congenita cum natura, eique intrinsicæ; proprie tamen ait non esse naturalem, sed obediencialem; quia naturalis potentia est (inquit) quædam inchoatio actus, et potest reduci in actum per agens naturale.

60. Ad argumentum ergo in forma respondetur, potentiam obediencialem passivam

esse positivam et realem, et habere in potestate actum qui ex ea educi potest, in quo ex parte convenit cum potentia naturali; differt tamen, quia potentia naturalis est per se instituta et ordinata ad actum sibi proportionatum, et naturaliter debitum, vel saltem naturaliter possibilem virtute agentis naturalis; potentia autem obediencialis est ad actum non debitum, seu excedentem ordinem naturæ, quam potest recipere ex vi supernaturalis agentis, hoc ipso quod aliunde non involvit repugnantiam, non quod ipsa potentia sit solum non repugnantia, sed quod talis entitas rei seu subjecti, comparata ad talem actum absque repugnantia recipiendi illum a tali agente, sufficiat ad rationem hujusmodi obediencialis potentiæ. Igitur ex hoc generali capite non excluditur potentia obediencialis a ratione potentiæ realis et positivæ; et per consequens nec excludetur hoc titulo a ratione potentiæ activæ.

*Circa secundum argumentum versatur quæstio, an hæc potentia naturalis sit vel supernaturalis.*

61. In secundo argumento petitur an hæc potentia naturalis vel supernaturalis dicenda sit. Quidam enim contendunt esse naturalem potentiam; alii vero omnino esse dicendam supernaturalem. Sed imprimis quæstio hæc, et tota difficultas in illo argumento proposita, locum habet tam in potentia passiva quam in activa; nam etiam de potentia passiva quæri potest, quomodo supernaturalis esse valeat, cum sit cum natura ipsa congenita; aut, si naturalis est, quomodo possit ad supernaturales effectus deservire; ergo vel neganda est etiam potentia obediencialis passiva, quod fieri nullo modo potest, vel quod de passiva dictum fuerit, dici etiam poterit de activa.

62. *Argumenta in utramque partem proponuntur.*—In utraque ergo locum habet eadem difficultas, qui in hoc consistit quod hæc potentia videtur quodammodo media inter naturalem et supernaturalem, unde in quantum est congenita naturæ, videtur esse naturalis. Item entitas illius naturalis est, cum nihil addat naturæ ipsius rei, nec possit unam entitas simul esse naturalis et supernaturalis. Præterea hæc potentia fit in re naturali ex vi causalitatis naturalis, et ab agente naturali, concursu naturali operante, a quo nihil nisi naturale fieri potest. Præterea, vel hæc potentia est ex natura rei distincta ab entitate naturali rei, vel non; si non est

distincta, quomodo esse potest magis supernaturalis quam illa? si vero est distincta, erit ergo res vel modus supernaturalis talis naturæ; ergo natura secundum se considerata est in potentia passiva ad talem entitatem vel modum. Imo etiam erit in potentia activa, a qua resultet talis entitas vel modus, cum sit illi intrinsece ac necessario conjunctus ex natura rei; ergo redit quæstio de potentia ad illum modum, an sit naturalis, an supernaturalis. Nam, si supernaturalis dicatur, redibit de illa eadem quæstio, et sic procedetur in infinitum; si vero dicatur naturalis, etiam si actus seu terminus ejus sit supernaturalis, idem dici poterat de illa potentia, de qua nunc disputamus; superflue ergo ponitur talis potentia supernaturalis media inter naturam et actum supernaturalem. Aliunde autem apparet nullo modo posse hanc potentiam naturalem esse aut appellari. Primo, quia ordinatur ad actus vel effectus supernaturales; omnis autem facultas accipit speciem suam ex objecto, seu actu ad quem ordinatur. Secundo, quia, teste Aristotele, cuicumque potentiæ naturali activæ respondet passiva, et e contrario, 3 de Anima, cap. 5, et 5 Metaph., cap. 12, lib. 9, cap. 1. Sed in præsentem non correspondet huic potentiæ obedienciali aliqua potentia naturalis; ergo neque ipsa potest naturalis appellari. Tertio, quia per hanc potentiam elevatur res ad supernaturalem ordinem, et quodammodo per illam inchoatur supernaturalis ordo; ergo non potest ipsa esse mere naturalis. Quarto, quia hæc potentia natura sua est proportionata suo actui, alias superflue poneretur; ergo est supernaturalis sicut ille; patet consequentia, quia hæc sola ratione dicimus habitus infusos esse supernaturales, quia habent vim activam proportionatam ad efficiendos actus supernaturales.

63. *Varii dicendi modi.*—Propter has ergo rationes auctores diversimode loquuntur, agentes præsertim de potentia passiva; nam Scotus, q. 1 Prolog., et in 4, d. 49, q. 9 et 10, absolute vocat hanc potentiam naturalem; quod etiam omnes sentire videntur, qui ponunt in homine appetitum naturalem ad videndum Deum. Alii vero appellant supernaturalem, quod sentire videntur qui negant illam esse naturalem, ut Capreolus, locis paulo ante citatis; quibus favet Augustinus, loco supra citato, indicans hanc potentiam esse supra leges naturæ. Alii partim naturalem, partim non naturalem vocant, ut Ferrar. 3,

cont. *Gent.*, cap. 51, circa finem. Alii denique nullo ex his modis, sed obedientialem appellant, et hic est frequentior modus loquendi D. Thom., ut patet ex locis paulo antea citatis in ratione secunda; quem frequentius sequuntur Thomistæ ibidem citati, et Fonseca, lib. 1 *Metaph.*, cap. 1, q. 2, sect. 2 et 3. Et hic posterior modus loquendi verior et sanior est.

64. *Potentia obedientialis non distinguitur ex natura rei ab entitate in qua est.* — Ne tamen res tota revocetur ad quæstionem de modo loquendi, eo quod facile sit ex variis respectibus denominationes varias sumere; ut res tota explicetur, supponendum in primis est hujusmodi potentiam obedientialem, sive activam, sive passivam, in re ipsa nullo modo distingui, nec realiter, neque ex natura rei ab illa entitate, cujus est potentia, neque ut rem, neque ut modum ejus. Et quidem quod non sit res distincta omnino realiter, evidentissimum est. neque ullus hactenus (quod ego sciam) contrarium dixit; et a fortiori constabit, excludendo etiam distinctionem ex natura rei; et rationes dubitandi pro utraque parte supra positæ hoc etiam convincunt; quia, si talis entitas est omnino ejusdem ordinis cum entitate naturæ, superflue ponitur ac fingitur. Si vero est superioris et supernaturalis ordinis, non potest esse debita naturæ, et consequenter neque cum illa congenita. Quæ ratio recte intellecta ostendit esse impossibilem talem potentiam obedientialem, quæ sit res distincta realiter a subjecto in quo est; nam, si est res distincta, erit forma vel qualitas aliqua; interrogo ergo an illa vis agendi sit connaturalis illi qualitati, vel obedientialis; hoc posterius dici non potest, alioquin oporteret illam vim esse rem distinctam a tali forma; et sic vel procedetur in infinitum, vel in prima entitate non oportebit hanc vim obedientialem esse rem distinctam, quod intendimus. Si vero dicatur primum, sequitur illam activitatem non esse obedientialem, sed naturalem. Dicetur fortasse illam vim esse connaturalem formæ, non autem subjecto. Sed contra, nam ipsa forma est connaturalis subjecto, nam est intrinsece innata illi, nam forma extrinsecus superaddita non erit potentia obedientialis, de qua nunc agimus, sed erit virtus illa instrumentalis per infusionem qualitatis, quæ a nobis supra rejecta est.

65. Quod vero non sit aliquis modus ex natura rei distinctus ab entitate naturali, probatur primo, quia nullum est indicium talis

distinctionis; hæc enim potentia obedientialis ita convenit entitati unicuique per se ipsam, ut sit prorsus inseparabilis ab ea, et immutabilis etiam de potentia Dei absoluta; hoc autem est signum indistinctionis ex natura rei, ut in disputationibus metaphysicis latius declaratum et probatum est. Quod secundo amplius declaratur, nam quæ eadem generatione per se primo generantur, sunt idem inter se, teste Aristotele 4 *Metaph.*; sed ita est in præsentia, nam creatura, præcise considerata secundum eam entitatem quam habet per suam creationem seu productionem, per se ipsam est subjecta essentialiter suo creatori, absque eo quod ab illa intelligatur dimanare aliqua entitas, vel aliquis modus realis quo habeat illam subjectionem, vel in recipiendo, vel in agendo; ergo potentia hæc obedientialis non est proprietas vel modus ex natura rei distinctus ab entitate creaturæ, alioquin non posset illi, vel sine aliqua nova actione, propria, et ab extrinseco proveniente, vel saltem sine aliqua intrinseca dimanatione, convenire. Minor declaratur et probatur, nam, si præcise consideres creaturam secundum illud esse quod habet ex vi creationis suæ, omnino essentialiter includit illam subjectionem ad creatorem, ita ut etiam si mente concipiamus illam entitatem nudam et carentem omni modo superaddito, necessario et essentialiter includat hanc plenam subjectionem ad Deum; sicut e contrario in intrinseca ratione creatoris ut sic includitur, quod habeat plenum et perfectum dominium suæ creaturæ.

66. Tertio id declaratur in utraque potentia, nam, verbi gratia, anima rationalis per se ipsam est capax gratiæ, et per intellectum immediate est capax fidei, et per voluntatem charitatis et spei, ita ut, si ratione separemus, etiam negative, omnem realitatem, vel modum realem additum substantiæ animæ et potentiis ejus, ex vi suæ perfectionis et substantiæ erit capax harum perfectionum supernaturalium, sicut ex vi earum est ad imaginem Dei; ergo potentia obedientialis, quæ est in anima ad recipiendos hos actus vel habitus, non potest esse aliquid distinctum ex natura rei ab entitate animæ et potentiarum. Idemque argumentum fieri potest de potentia obedientiali activa, quæ ad eosdem actus supernaturales est in eisdem potentiis animæ. Et confirmari potest, quia, quando fiunt hi actus, immediate profluunt ex ipsamet entitate intellectus et voluntatis; ergo illa entitas

est per se ipsam in suo ordine activa talis actus. Et idem argumentum fieri potest de aliis divinis instrumentis, quæ elevantur ad agendum per suasmet entitates, ut in superioribus declaratum est; hæc ergo activitas, quatenus intelligitur innata cum entitate creata, nullam rem, nec modum realem ex natura rei distinctum illi addit.

67. Quarto id probatur, declarando rationem a priori hujus rei, nam hujusmodi potentia obedientialis, tam activa quam passiva, quam in entitate creata esse dicimus, non est res aliqua per se primo ordinata ad agendum vel recipiendum id ad quod esse dicitur obedientialis potentia; unde non est concipienda tanquam habens proprium et transcendentem ordinem ad talem actum, aut aliquam speciem entis ab illo accipiens, sed solum est intelligenda talis entitas, ut constituta absolute in sua specie vel natura, quæcumque illa sit, et per se ipsam quasi concomitanter existens vis agendi vel recipiendi, ex imperio creatoris, quidquid non repugnaverit; et ideo talis potentia nihil potest addere illi entitati, cui convenire intelligitur. Hoc enim, non tantum in hac potentia obedientiali, sed etiam in naturali potentia et virtute agendi invenitur; nam quodcumque non convenit per se primo entitati ex primaria intentione ejus, sed solum quasi concomitanter, non addit novam aliquam specificationem aut realitatem vel modum. Exemplis declarari potest, nam materia prima, quæ per se primo est potentia ad recipiendam formam substantialem, quamvis concomitanter, sic etiam potentia ad recipiendam quantitatem, inde tamen nec speciem aliquam, nec modum aliquem realem sumit. Item forma substantialis per se primo instituitur ad dandum esse composito et actuandam materiam, et inde habet suam speciem et essentiam; quod si hinc concomitanter habet vim aliquam immediate agendi per se ipsam, ut, verbi gratia, aliquam intrinsecam proprietatem per resultantiam naturalem, ut dicitur frigiditas manare a forma substantiali aquæ, quando se reducit ad primam frigiditatem; vel certe tanquam principium principale per se influens in suo ordine in aliquam actionem, quomodo multi censent animam per suam substantiam influere in actus vitæ; vel si fortasse aliqua forma substantialis est per se ipsam activa sui similis: in his omnibus exemplis vis activa neque propriam specificationem habet a tali actu, neque aliquid

reale addit ipsi formæ substantiali. Ad eundem modum explicare soleo quomodo in Deo sit potentia effectiva ad extra, absque transcendentali ordine, vel specificatione propria a tali actu vel objecto, quia, scilicet, illa potentia non est quasi per se primo relata ad agendum, sed est ipsamet entitas Dei, quæ, hoc ipso quod est, quasi concomitanter habet totam illam vim agendi cum summa identitate. Eodemque modo philosophandum censeo in accidentibus; nam quantitas, verbi gratia, per se primo est ad extendendum formaliter substantiam, et hinc habet suam speciem; concomitanter vero hinc habet ut sit ratio recipiendi qualitates corporeas; hoc autem habet per se ipsam sine ulla nova specificatione aut additione alicujus rei, vel modi realis; et calor, verbi gratia, per se primo ordinatur, ut ita disponat et formaliter afficiat suum subjectum, et inde habet propriam et specificam rationem suæ entitatis, ex vi cujus est etiam activus sui similis, quod (ut opinor) non addit ei aliquam realem speciem, neque modum ex natura rei distinctum; quod secus contingit in his potentiis quæ per se primo ordinantur ad aliquid agendum circa extrinseca objecta, nam inde habent suam primariam specificationem et rationem. In præsentia ergo, cum hæc potentia obedientialis non sit specialis entitas ad hunc finem per se primo instituta, sed sit veluti conditio quædam necessario concomitans quæcumque entitatem creatam, hoc ipso quod in sua natura, vel ad suum peculiarem finem instituitur, non potest esse aliquid ex natura rei distinctum ab entitate rei, et sumens aliam propriam speciem ex tali actu, seu ex habitudine ad illum.

68. *Potentia obedientialis non est aliquid supernaturale.* — Atque hinc constat primo hanc potentiam obedientialem, quæ est in naturalibus entibus, non posse esse facultatem aliquam supernaturalem talium entium, quia alias necessarium esset intelligere hujusmodi facultatem ut aliquo modo distinctam ab entitate cujus est facultas. Et hoc etiam bene confirmant rationes dubitandi supra adductæ in favorem hujus partis. Posset autem excogitari alius modus quo hæc potentia supernaturalis sit, non per additionem et distinctionem a naturali entitate, sed per conjunctionem gradus inferioris cum superiori in eadem entitate indivisibili secundum rem, divisibili autem secundum rationem per conceptus præcisos seu inadæquatos in re ipsa funda-

tos, sicut sensitivum, verbi gratia, et rationale conjunguntur in anima humana secundum eandem indivisibilem entitatem physicam; sic enim naturale et supernaturale sunt duo gradus entium quos non repugnat physice conjungi in eadem entitate, seu forma aut qualitate. Sed hic modus dicendi etiam est impossibilis; primo, quia sequitur nullam esse entitatem creatam mere naturalem, sed necessario esse per se et essentialiter elevatam ad supernaturalem ordinem, quantum ad aliquam participationem perfectionis ejus; consequens videtur valde falsum; ergo. Sequela patet, quia nulla est creatura, in qua non sit aliqua potentia obedientialis, vel activa, vel passiva. Minor autem constat, tum ex communi sententia omnium Theologorum, tum etiam quia gradus naturæ inferior est et finitus, et consequenter ex se limitatus ad proprium ordinem. Secundo, quia ex illa fictione sequitur nullam formam naturalem solum agere ut naturalis est, sed etiam ut est supernaturalis; consequens est absurdum; ergo. Sequela declaratur, quia, si calor, verbi gratia, est naturalis, quatenus est productivus caloris, et potentia supernaturalis, quatenus est productivus gratiæ, ergo quando producit alium calorem, non solum producit in illo vim producendi alium calorem, sed etiam vim producendi gratiam; ergo non solum producit id quod est naturale, sed etiam id quod est supernaturale; ergo non solum agit ut principium naturale, sed etiam ut principium supernaturale, quandoquidem agit communicando aliquid supernaturale. Falsitas autem consequentis videtur manifesta; nam inde sequitur nihil posse naturam agere cum solo concursu naturali sine aliquo supernaturali, quod est confundere ordinem naturæ cum ordine gratiæ.

69. Tertio, nam quando gradus seu ordo supernaturalis dicitur conjungi cum gradu naturali in eadem entitate physice indivisibili, interrogo quo modo vel qua ratione ille gradus aut entitas illa secundum unam rationem supernaturalis dicatur: aut enim dicitur supernaturalis absolute, quia nulli creaturæ est naturalis; aut respective, scilicet, quia est supra naturam illius entitatis cui inest. Hoc secundum dici non potest, quia quod est de essentia alicujus, non potest dici supernaturale illi. Item quia, quando gradus inferior et superior conjunguntur in eadem entitate indivisibili, uterque est naturalis illi entitati, ut gradus sensitivus et rationalis in anima humana. Et hinc a fortiori colligitur nec pri-

mum dici posse, quia, quod alicui creaturæ, tam accidenti, quam substantiæ, potest esse connaturale, non potest dici supernaturale absolute; illud enim dicitur absolute supernaturale, quod non tantum respectu hujus vel illius creaturæ, sed simpliciter, respectu omnium quibus inesse potest, supernaturale est. Et ideo contradictionem involvit dicere gradum supernaturalem absolute et in essentia sua posse contrahi, et ita conjungi cum naturali gradu, ut sit connaturalis, et essentialis ipsi entitati naturali. Et propter hanc causam, inter alias, repugnat dari substantiam supernaturalem creatam. Dices: in Deo conjunguntur illæ duæ rationes, nam est auctor naturalis et supernaturalis, et illud habet per vim naturalem, hoc vero per supernaturalem. Respondetur primo, sine causa sumi argumentum ex Deo, cujus essentia non potest semper imitari a creatura. Deinde, si de Deo secundum se loquamur, revera nihil esse potest in illo supernaturale; ipsa enim vis producendi gratiam, vel faciendi miracula est illi maxime naturalis, appellatur vero supernaturalis solum denominatione extrinseca, quia est productiva alicujus rei, quæ est supernaturalis creaturæ, vel quia talis perfectio est omnino supra naturam entis creati, quo sensu etiam vis creandi, secundum quam Deus dicitur naturalis auctor, est maxime supernaturalis, non Deo, sed creaturæ. Non est ergo simile quod de Deo affertur, quia in Deo secundum se non est distinctio naturalis et supernaturalis secundum gradus, nec secundum comparisonem intrinsecam ad ipsum Deum; in creaturis vero distinguuntur illi gradus et ordines, et ita ille, qui supernaturalis dicitur, talis est per intrinsecam comparisonem ad gradum naturæ, seu entitatem naturalem; et ideo fieri non potest ut in creaturis hæc duo conjungantur tanquam essentialia eidem entitati.

70. Quarto, quia illæ duæ rationes seu ordines naturalis et supernaturalis gradus, non possunt in eadem entitatem coalescere et convenire tanquam duæ rationes adæquatæ et convertibiles inter se; neque etiam tanquam gradus superior et inferior; quomodo ergo conjungentur? Major patet primo inductione, quia in omnibus aliis rationibus, quando gradus inferior et superior illo modo uniuntur, unus comparatur ad alium ut genus ad differentiam, ut sensibile ad rationale, et vivens ad sensibile, etc.; et nunquam se habent ut duæ rationes inter se convertibiles.

Secundo, quia quando hujusmodi rationes sunt convertibiles, semper una comparatur ad aliam ut proprietas ad essentiam; sed hi duo gradus essentialis sunt ejusdem essentia; ergo non apparet quomodo per se uniantur, quia unus non contrahit alium, neque e converso; neque ambo sunt differentia ejusdem generis; imo si æque universales sunt, vix potest reddi ratio cur unus naturalis, alter supernaturalis dicatur. Minor autem declaratur, quia imprimis ratio naturalis entis non potest comparari ut genus ad gradum supernaturalem; quia nulla est naturalis entitas in qua non sit aliqua potentia obedientialis activa vel passiva; ergo, si talis potentia est supernaturalis, nulla est entitas ita naturalis, quæ non sit aliqua ratione supernaturalis; ergo non comparatur gradus naturalis ad supernaturalem, ut genus ad differentiam contrahentem et elevantem talem gradum; quia omnis ratio generica in aliquo inferiori salvari potest sine differentia contrahente et elevante illam ad superiorem ordinem, ut sensibile est in bruto absque rationali, et vivens in planta absque sensibili. Neque etiam e contrario gradus supernaturalis potest comparari ad naturalem, ut genericus ad specificum, tum quia est superioris ordinis, magisque actualis; tum etiam quia pari ratione in qualibet entitate supernaturali poterit aliqua naturalis potentia inveniri, ut in charitate, verbi gratia, poterit excogitari potentia ad producendum calorem, quæ erit naturalis ratione termini seu objecti, sicut e contrario potentia obedientialis, quæ est in calore ad producendam gratiam, dicitur supernaturalis ratione objecti.

71. Quinto argumentari possumus, quia ex contraria sententia sequitur potentiam illam obedientialem, quasi inchoatam vel radicalem, quæ est in voluntate vel intellectu ad eliciendum actum fidei vel charitatis infusæ, esse ejusdem ordinis seu supernaturalitatis cum habitu charitatis vel fidei infusæ; consequens est valde absurdum; ergo. Sequela patet, quia eodem modo dicitur hæc potentia esse supernaturalis, sicut sunt illi habitus, et ex eadem radice, scilicet, quia ex se apta est concurrere ad actus supernaturales cum concursu Dei supernaturali. Falsitas autem consequentis patet, quia hoc est confundere ordinem naturæ cum ordine gratiæ, et est attribuire naturæ humanæ secundum se et ex se aliquid vere supernaturale, quod non videtur sanæ doctrinæ consentaneum.

72. Ultimo tandem quia alias sequitur ordinem gratiæ habere quamdam intrinsecam connexionem cum ordine naturæ, et formam supernaturalem, nimirum gratiam, recipi in subjecto omnino connaturali, et ejusdem ordinis; nam recipitur in anima secundum capacitatem vere supernaturalem quam in se habet, et e contrario ipsi animæ, prout talem capacitatem habet, debita erat talis forma debito quodam connaturalitatis, sicut materiæ debetur forma, et cuilibet potentiæ actus proportionatus; et consequenter potentiæ activæ, quam intellectus habet ad credendum, vel videndum Deum, debitus esset concursus, et complementum necessarium ad operandum, quæ omnia falsa sunt, ut constat ex materia de gratia. Non potest ergo hæc potentia dici supernaturalis, neque ut facultas superaddita naturæ, neque ut gradus essentialis illi rei, cui talis potentia convenire dicitur.

73. Neque rationes dubitandi superius quoad hanc partem propositæ difficilem solutionem habent. Ad primam enim respondetur facultatem per se primo ordinatam ad actum aliquem vel objectum accipere speciem proportionatam ab illo; hæc autem potentia obedientialis non est hujusmodi, sed concomitanter se habet ad ipsam rei entitatem; unde tam absoluta est quam est illa; neque habet aliam speciem præter eam quam entitas ipsa habet. Ad secundam respondetur, ad summum probare, hanc potentiam non esse simpliciter naturalem, quoad rationem seu munus potentiæ, quod concedimus, et statim declarabimus. Et eadem fere est responsio ad tertiam, quanquam quod in ea dicitur, per hanc potentiam elevari rem, seu inchoari in illa supernaturalem ordinem, sano modo intelligendum sit; nam, si intelligatur de actuali seu formali elevatione, etiam inchoata, falsum est; alioquin non posset creatura produci in puris naturalibus, absque eo quod esset actu elevata aliqua ex parte ad supernaturalem ordinem, quod falsum est. Si vero intelligatur de elevatione in potentia, et de inchoatione quoad fundamentum ex parte naturæ necessarium ad actualem elevationem, sic verum est quod assumitur; tamen ex eo nihil contra nos inferri potest, quia ipsa naturalis entitas rei secundum propriam rationem suam est fundamentum hujus elevationis absque aliquo addito supernaturali, ut in homine, per hoc ipsum quod est ad imaginem Dei, est fundamentum ut ad supernaturalem.

ralem ordinem elevari possit. Ad quartam respondetur dupliciter posse dici potentiam proportionatam ad actum: uno modo positive, quia est ex natura sua instituta et ordinata ad talem actum; alio modo non repugnanter, quia, scilicet, non repugnat elevari ad talem actum recipiendum, vel efficiendum; vel aliter, dupliciter posse potentiam dici proportionatam ad actum, vel proportionem connaturali, quæ fundatur in naturali subordinatione vel transcendentali relatione unius ad aliud, vel proportionem obedientiali, quæ fundatur in subordinatione creaturæ ad summum creatorem, supposita non repugnantia ex parte effectus seu objecti. Hæc ergo potentia, de qua agimus, est proportionata tantum posteriori modo; et ideo necesse non est ut sit ejusdem ordinis cum actu suo. Et in hoc maxime differt vis activa obedientialis potentiarum animæ a vi activa, quæ est in habitibus infusis; nam hæc est proportionata priori modo tanquam connaturalis et ejusdem ordinis, cui proinde debitus est concursus ad talem actum; illa vero solum est obedientialis; unde neque natura sua ordinata est ad talem actum, neque ei debitus est talis concursus.

74. *Potentia obedientialis aliquo modo est naturalis, non tamen simpliciter.* — *An potentia obedientialis activa necessario fundetur in naturali activitate.* — Secundo principaliter colligitur ex dictis hanc obedientialem potentiam, tam activam, quam passivam, aliquo modo posse dici naturalem, vel naturale appellando quidquid supernaturale proprie non est, vel quia quidquid est entitatis in illa potentia, naturale est, vel cum natura congenitum. An vero simpliciter hæc potentia activa sit appellanda naturalis, quamvis de nomine et de modo loquendi quæstio videatur, nonnulli tamen omnino ita censent sentiendum et loquendum in quodam sensu, quem falsum esse existimo, et non tantum ad modum loquendi, sed etiam ad rem pertinere. Existimant itaque hanc potentiam activam, quam nos obedientialem vocamus, necessario esse debere aliquam naturalem potentiam, effectivam natura sua alicujus effectus, qui secundum rationem aliquam communem conveniat cum effectu supernaturali, ut ratione illius convenientiæ possit talis naturalis potentia elevari ad efficiendum supernaturalem effectum, quatenus in eo invenitur aliqua ratio quam potentia illa possit natura sua attingere, ratione cujus possit elevari ad alium ef-

fectum quem natura sua non posset efficere; atque hoc modo potentia illa, quæ elevatur, dicitur esse potentia naturalis. Exemplis res illustratur, nam intellectus natura sua est effectivus intellectualis cognitionis seu visionis, et quia hæc ratio in visione Dei reperitur, quamvis elevata ad supernaturalem ordinem, ideo intellectus, per illam facultatem naturalem, quam habet ad efficiendum actum intellectionis ut sic circa Deum, elevari potest ad eliciendum actum videndi clare Deum. Similiter aqua natura sua est effectiva alicujus qualitatis, et quia hæc ratio qualitatis in gratia reperitur, quamvis elevata ad supernaturalem ordinem, ideo aqua, per naturalem vim activam quam habet ad efficiendam qualitatem, elevari potest, ut cum superiori aliquo concursu efficiat illam supernaturalem qualitatem; sine hujusmodi autem activitate naturali (aiunt) intelligi non posset quomodo sit elevabilis creatura ad agendum aliquid extra limites naturæ suæ.

75. Sed hæc sententia et in re falsum dicit, et in modo loquendi non recte loquitur, nec rem declarat. Primum itaque falsum est dicere non posse creaturam elevari ad aliquid, nisi in ea supponatur propria naturalis potentia ad talem actum vel effectum, saltem secundum aliquam rationem communem. Nam imprimis in potentia passiva susceptiva obedientiali id deesse videtur in anima rationali, quæ ex natura sua non est naturaliter receptiva immediate, et per substantiam suam, alicujus qualitatis ab extrinseco advenientis, seu alicujus mutationis; et tamen supernaturaliter potest recipere immediate, per substantiam suam, qualitatem aliquam supernaturalem; illa ergo capacitas animæ ad gratiam nullo modo ordinatur naturaliter ad aliquam qualitatem naturalem, sed est mere obedientialis. Nisi forte quis dicat, animam per substantiam suam esse capacem suarum potentiarum, et ita habere aliquam capacitatem naturalem ad aliquas qualitates. Sed ad hoc excludendum dixi non esse capacem alicujus mutationis, seu qualitatis extrinsecus impressæ. Et revera videtur valde impertinens, quod potentiæ animæ supponantur distinctæ ab anima, et receptæ in illa, ut ipsa intelligatur capax gratiæ; non enim ea ratione elevari potest ad supernaturale esse gratiæ, sed quia, propter convenientiam quam habet cum Deo in gradu intellectuali, participare potest superiori quodam modo divinam ipsam naturam. Unde multo melius haberet hanc capa-

citatem, etiamsi intra proprium ordinem naturalem esset per se intelligens et volens absque distinctione reali potentiarum.

76. Deinde in vi activa, seu in elevatione creaturæ ut agat ut instrumentum Dei, incredibile videtur non posse Deum elevare ad aliquid supernaturaliter agendum, nisi id quod habet aliquam naturalem vim ad aliud naturaliter agendum. Primo quidem quia, si potest elevare aquam, ut frigida est, verbi gratia, ad efficiendam gratiam, cur non potest eandem, ut quanta est, ad eundem effectum elevare? quod enim frigiditas sit naturaliter effectiva frigiditatis, quantitas vero non sit naturaliter effectiva alterius quantitatis, valde impertinens est ad prædictum gratiæ effectum. Quod ex institutione nunc facta verisimiliter conjectare possumus; nam, ut aqua baptismi conferat gratiam, impertinens est quod sit frigida vel calida, dummodo aqua sit, et impertinens etiam est quod possit alterare corpus, tum quia, licet non posset propter resistantiam vel dispositionem corporis, nil referret; tum etiam quia non est effectura gratiam in corpore, sed in anima, in qua nullam qualitatem potest naturaliter producere. Deinde, quando Christus Dominus sanabat ægrotum, vel sanctificabat illum per contactum, omnino impertinens et per accidens erat ex parte carnis aut vestimentorum Christi naturalis vis activa qualitatum, sed immediate et per se sequebatur effectus ex contactu illorum corporum, qui præcise in quantitativibus seu per quantitates fiebat; et fortasse actio immediate procedebat, vel a carne ipsa substantiali, vel a quantitate ipsa, vel simul etiam a qualitativibus quibus erat affecta, sive activæ essent qualitatum sibi similibus, sive non essent. Et idem est de effectu gratiæ sanctificantis, quando per manus impositionem datur. Multoque evidentius erit argumentum, si talis effectus proxime per localem motionem instrumenti fiat, ita ut immediata ratio et virtus agendi sit motus ipse; nam motus localis nullam vim activam naturalem habet, idemque est de voce seu verbo, quæ elevari possunt, ut sint instrumentum Dei ad producendam gratiam; imo et ad producendam substantiam, vel convertendam unam substantiam in aliam, ut in sacro Eucharistiæ mysterio fit; et Christus Dominus etiam id fecit verbo suo, quando in nuptiis aquam in vinum convertit, saltem conversione formali, cum tamen verba ex natura sua non habeant efficientiam ullam, præsertim ad producen-

dam substantiam. Item interior actus voluntatis vel intellectus non habet ullam naturalem vim activam, et tamen, si aliqua creatura potest sumi ut instrumentum ad supernaturales effectus, maxime hujusmodi actus intellectus et voluntatis, ut D. Thom. citatis locis sæpe docet. Quod si quis dicat, in his actibus esse virtutem naturalem ad efficiendos habitus sibi proportionatos, id quidem et impertinens videtur ad efficiendos effectus superioris ordinis, et non est universaliter verum; nam actus supernaturales, ut visio beata, dilectio aut contritio infusa, non habent hanc naturalem vim, et tamen ex omnium sententia multo facilius possunt hi actus elevari, ut sint instrumenta gratiæ efficiendæ, quam alii actus mere naturales. Deinde, quis credat posse Deum uti his accidentibus, quæ sunt qualitates activæ, et non aliis, si quæ fortasse sunt bene efficientia et disponentia subjectum absque naturali ordine ad agendum? aut posse Deum elevare accidens, etiam materiale, ad supernaturaliter agendum, non vero substantiam, etiam angelicam, si fortasse immediate et per se nullam habeat activitatem? Denique in Eucharistia caro vel sanguis Christi Domini, prout ibi existit, nihil potest naturaliter agere, et tamen, prout ibi est, elevatur ad efficiendam gratiam in sumente digne; ergo signum est non elevari per naturalem potentiam quam habeat ad aliquid aliud agendum.

77. Ratio vero est, quia, quamvis potentia sit naturaliter activa, si ex natura sua est omnino limitata ad talem effectum, propter eam activitatem non habet actualem proportionem ad alios effectus, præsertim perfectiores et superiores, producendos; ergo si, non obstante hac naturali improportionem et impotentiam potest elevari ad efficiendos illos excellentiores effectus, etiam alia res, quæ non sit potentia activa naturalis, sed substantia vel quantitas, vel aliquid hujusmodi, potest elevari ad efficiendum aliquid quod naturaliter efficere non potest. Patet consequentia, quia respective (ut sic dicam) eadem est formalis improportio; quia tam inepta est potentia ad ea quæ sunt extra suam vim activam, ac si prorsus nulla esset potentia, neque activitatem haberet. Unde ratio potentiæ activæ in tali instrumento quasi materialiter se habet in ordine ad supernaturalem actionem; ut in voluntate, verbi gratia, ut elevari possit ad efficiendos actus intellectus, materiale est quod ipsa habeat naturalem activitatem respectu propriorum actuum; sic ergo, ut pos-